



Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsque ad finem: &
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

Suárez, Francisco

[Köln], 1616

Sectio 5. De iurisdictione ad absoluendum à solis venialibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)

SECTIO V.

Utrum in confessione, quæ fit de solis venialibus peccatis, quilibet sacerdos sit sufficiens minister.

Ratio dubitandi esse potest, quia in cap. *Omnis vtriusque sexus*, absolute & sine limitatione dicitur, nullum posse ministrare hoc sacramentum, nisi sacerdotem proprium, vel alienum ex licentia proprii. Propter quod Medina dicit. Cod. quæst. 40. de Confessione, non necessitate, sed voluntate facta, in dubium reuocat: an simplices sacerdotes habeant hanc facultatem. Et Nauarr. in cap. *Placuit*. nu. 22. de Pœnit. d. 6. & in sum. cap. 4. num. 5. & 6. significat incertam sibi esse talem concessionem: & videtur magis incerta reddi post Concilium Tridentinum, saltem quoad sacerdotes non expositos. Et addi potest aliqualis ratio, quia, licet ad iudicandum de venialibus non sit necessaria magna scientia; tamen ad discernenda venialia à mortalibus, aliqua necessaria est: qui autem iudicaturus est de venialibus sine potestate circa mortalia, necesse est, vt sciat discernere inter venialia & mortalia: hac ergo ratione posset in illo exigi approbatio.

Nihilominus antiqui Doctores supponunt de hoc esse consuetudinem ecclesiæ, ratione cuius quilibet sacerdoti non specialiter prohibito licitum est de venialibus absolueri: & cap. *Omnis vtriusque*, ab omnibus intelligitur de confessione mortalium: & est certum, quia agit de præcepto annuæ confessionis, de cuius necessitate tantum sunt peccata mortalia. Et ita etiam tandem dixit Medina. Nec Nauarr. ab hac recepta sententia discedere audeat. Eamque sentio habere locum etiam post decretum Concilij Tridentini: nam illud in hac parte etiam intelligendum est quoad confessiones de mortalibus nunquam confessis; quia cætera non sunt materia necessaria confessionis.

Difficultas vero est in ratione, vel iurisdictione assignanda ad hoc ministerium. In quo prima opinio est, rationem esse, quia ad absolvendum de venialibus nulla est necessaria iurisdictione. Ita Soto d. 18. quæst. 4. artic. 2. ad 2. quia sacerdos, inquit, non potest cogere pœnitentem ad confessionem talium peccatorum, nec ligare illum ad pœnitentiam de illis faciendam: ad quid ergo necessaria est iurisdictione? Vnde etiam D. Thomas ibid. quæstione prima ar. 3. quæst. 1. ad 3. indicat potestatem ordinis ad hoc sufficere. Nihilominus falsa est opinio. Primo, quia Concilia inter res necessarias, vt conficiatur hoc sacramentum, ponunt iurisdictionem, & nihil excipiunt, neclimitant. Secundo, quia tunc etiam perficitur sacramentum per modum iudicij: quæ est fundamentalis ratio necessitatis iurisdictionis. Tertio, quia sacerdos, & potest soluere iudicialiter, & potest suo modo ligare, vel non absolvendo, si videat pœnitentem non dispositum, sed cum proposito committendi: vel imponendo satisfactionem, quam saltem sub veniali teneatur pœnitens implere.

Secunda opinio est, sacerdotem habere iurisdictionem ab ipso pœnitente se voluntarie illi subiiciente. Sedit Caiet. tom. 1. Opus. tract. 7. & in Sum. ver. *Absolutio*. 2. Sed, si hoc intelligatur proprie vt verba sonant, est plane improbabile, vt probant quæ supra tractaui: quia solus Deus est supremus iudex etiam venialium. Si vero intelligatur, quod pœnitens dare dicitur designando personam, cui Deus, vel Christus statim confert iurisdictionem, vt Nauarr. sentit, oportet ostendere, vbi fit à Christo concessa hæc facultas omnibus, vel pactum in initium de tali iurisdictione conferenda ad nutum alterius.

A Est ergo tertia opinio, quæ affirmat iure diuino datam esse hanc iurisdictionem sacerdotibus. Quod tenent Paludanus distinct. 19. quæst. 2. num. 25. & ibi Capredus ad tertium contra primam conclusionem. Fundantur vero in opinione supra reiecta, quod omnes sacerdotes habent iurisdictionem illam à Christo; dum ecclesia non tollit; hanc autem non abstulit. Eandem sententiam tenent Cano, & Ruardus supra, & Ledesma quæst. 22. articulo secundo. Fundantur vero in ecclesiæ consuetudine; & quia ecclesia non potest referuare hæc peccata; & quia sunt materia voluntaria. Nihilominus etiam in hoc casu existimo hanc fuisse ecclesiæ concessionem, quam consuetudo ostendit. Ita sentit Medina quæ de Confessione non necessitate, sed voluntate facta, & alij. Fundamenta sunt eadem, quæ adduxi sect. præcedente. Addo etiam, aliquando ecclesiam priuare sacerdotem hac iurisdictione: nam ex communi sententia excommunicatus sacerdos nunquam valide absoluit, etiam si de solis venialibus absoluat (loquitur autem nunc de nominatim denunciato) quod etiam certius videtur de sacerdote degradato: ergo signum est esse priuatum hac iurisdictione; ergo non habet illam à iure diuino.

Atque hinc constat quid dicendum sit de mortalibus peccatis iam confessis, de quibus Soto serupulose loquitur, sentiens non omnem sacerdotem posse de illis absolueri: quia circa mortalia semper est necessaria iurisdictione, & quia illa sunt per se materia necessaria; per accidens autem est, vt sint iam confessa. Ledesma vero concedit omnes habere hanc iurisdictionem iure diuino, in quo consequenter loquitur. Dicendum enim sine dubio est, eodem modo hanc materiam esse subiectam simplicibus sacerdotibus, quod venialia peccata: quia est eadem consuetudo, & eadem ratio, quæ est materia non necessaria.

Atque hinc etiam colligimus, iurisdictionem hanc delegatam esse ab ecclesia, quia non est iurisdictione ordinaria, ergo esse debet delegata: nam, iuxta doctrinam Conciliorum sæpe citatam, minister in hoc sacramento nihil operari potest, nisi iurisdictionem habeat ordinariam, vel delegatam: quæ definitio vniuersalis est, & fundatur in propria ratione iudicij, ideoque omne sacramentum pœnitentiæ ex quacumque materia constat, omnemque abolitionem comprehendat. Antecedens vero, scilicet, hanc iurisdictionem in simplicibus sacerdotibus non esse ordinariam, patet: quia non conuenit illis ex vi alicuius muneris, seu pastoralis officij; supponimus enim nullum habere præter solum sacerdotium: neque etiam conuenit illis ex vi solius sacerdotij, nam supra ostensum est, ex vi institutionis non dari aliquam iurisdictionem necessariam coniunctam cum potestate ordinis. Nec potest dici cum fundamento ex vi illorum verborum, *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remisistis peccata, remittuntur eis*, dedisse Christum omnibus sacerdotibus potestatem potius ad venialia, quam ad mortalia: vel constituisse omnes sacerdotes pastores & iudices ordinarios animarum cum plena potestate in causis leuioribus & venialibus, potius quam in grauioribus & mortalibus: quia Christus simpliciter & sine distinctione de peccatis loquutus est: imo directe videtur loquutus de mortalibus, de venialibus autem per quandam concessionem, vt supra expendimus ex verbis illis, *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis*.

Quod si ex illo loco non colligitur, non est fundamentum ad dicendum, iure ordinario incluso in ipsa institutione sacramenti pœnitentiæ, aut ordinis, vel ex speciali concessione Christi his sacramentis coniuncta, habere sacerdotes omnes hanc iurisdictionem. Neque enim hoc sequitur ex Ecclesiastica consuetudine: nam potuit habere ortum ab ipsa Ecclesia, seu Apostolis. Neque etiam recte colligi-

i.

Medina.

Nauarr.

2.

Ex ecclesia consuetudine ne quilibet sacerdos potest absolueri.

3.

Difficultas de iurisdictione assignanda. Prima opinio. Soto.

D. Tho.

Reprobatur.

4.

Secunda opinio.

Reiicitur.

5. Termina

Cano. Ruard. Ledes.

Reprobatur.

Medin.

6. Quid de peccatis mortalibus iam confessis remittuntur Soto. Ledes.

7. Hanc iurisdictionem esse delegatam.

Obiicitur resolutum.

8.

Alij ibi dixerunt.

colligi-

colligitur ex eo, quod hæc peccata sunt materia voluntaria: nam, licet sit voluntaria quæcum ad exercendam confessionem eorum; nihilominus, si quis velit ea confiteri, oportet vt accedat ad iudices habentes iurisdictionem: & ideo non recte inferitur, ex concessione Christi liberum esse cuiuscumq; confiteri hæc peccata cui voluerit. Sicut supra dicebamus, voluntarium quidem esse, & non simpliciter necessarium habere propriam contritionem, vel attritionem de peccatis venialibus, tamen, si quis velit eorum remissionem per hoc sacramentum accipere, necessarium esse de eis dolere. Item, licet sit voluntarium ea confiteri, tamen, si quis ea confiteri vult, necesse est, vt sacerdoti, & non laico ea confiteatur. Sic ergo potest esse necessarium ea confiteri sacerdoti potestatem habenti, & non alteri: ergo ex vi institutionis, ac diuini iuris non potest cum fundamento dici, hanc iurisdictionem esse in omnibus sacerdotibus tanquam ordinariam.

Relinquitur ergo, vt sit ex commissione & delegatione. Quod si delegata est, ab Ecclesia esse debet: quia Christus non reliquit in Ecclesia iurisdictionem delegatam perpetuo duraturam, quatenus ab ipso fuit immediate: propterea enim iurisdictione a priorum Apostolorum à Petro delegata tantum fuit, quia non erat perpetuo duratura: & è conuerso, quia tantum fuit data pro personis Apostolorum, ideo per modum cuiusdam delegationis fuit concessa: soli autem Petro data est iurisdictione ordinaria, cui perpetuo succederetur, & à qua omnis alia iurisdictione, siue ordinaria, siue delegata semper in Ecclesia manaret: ab illa ergo processit iurisdictione hæc, de qua agimus, vel vt ordinaria quatenus includitur in omni pastoralis munere sub Pontifice Summo, vel vt delegata quatenus est in simplicibus sacerdotibus, quibus ex officio non competeat, vt ostensum est.

Hinc vero intelligere licet hanc concessionem, seu delegationem à Summis Pontificibus manasse, & ex eorum tacito consensu durare, nam hoc saltem ostendit consuetudo, & traditio. Vnde vltimus sequitur, per nullum inferiorem prælatum posse hanc delegationem auferri, quia delegatio facta à superiori, non potest derogari ab inferiori: in Summo autem Pontifice non deest potestas, nunquam tamen in vniuersum, ac generaliter ea vtetur, quia ad vniuersale Ecclesiæ regimen nec necessarium est, nec expediens: in particulari vero hoc non repugnat. Et quoad personas quidem credimus aliquando id facere, vt cum excommunicatis, vel degradatis: quoad culpas vero, an, & quomodo hoc possit fieri per reservationem, postea videbimus.

SECTIO VI.

Vtrum liceat hoc sacramentum ministrare cum iurisdictione delegata, dubia tantum, vel probabilis

De hac disputatione nihil fere inuenio in terminis dictum ab auctoribus: necessaria tamen mihi visa est ad praxim & communem vsum huius sacramenti propter difficultatem specialem hic occurrentem, quæ non solum in iurisdictione delegata, sed etiam in ordinaria potest habere locum, frequentius tamen, & ordinarie occurrit in iurisdictione delegata, & in conditionibus, quæ ad eam requiruntur, & ideo circa illam potius hoc tractamus. Contingit ergo aliquando, quempiam esse dubium de iurisdictione sibi delegata, vel quia mortuus est, qui concessit, & dubitat, an cessauerit per mortem concedentis; vel quia dubitat, an privilegium, virtute cuius illam habuit, fuerit validum. In his ergo, & similibus casibus est difficultas; at

Fr. Suarez. tom. 4.

possit quis tali iurisdictione uti, & an pœnitens possit secure tali sacerdoti confiteri. In qua re oportet distinguere dubium proprie dictum, quod est pure negatiuum: quia in neutram partem potest intellectus determinari per iudicium positiuum, & probabile, sed suspensus est, & anceps: & dubium improprie dictum, solum ratione formidinis, quamuis determinate possit ferre iudicium probabile, licet incertum: in quo potest esse latitudo, & varietas, quia potest vtraque pars iudicari æque probabilis, vel vna probabilior, quamuis altera sit probabilis, & è conuerso: vel denique vna tantum probabilis, quia non euidens, neque certa, quamuis opposita fundamentum probabilitatis habeat.

In casu ergo, in quo proprium dubium negatiuum circa iurisdictionem intercedit, est regula generalis, ac certa, nunquam licere hoc ministerio uti cum tali dubio, nisi duplici concurrente conditione. Vna est, vt occurrat euidens necessitas: alia, vt absolutio detur sub conditione, & cum onere iterum confitendi illa peccata habenti iurisdictionem certam nacta opportunitate. Ratio generalis est, quia alias exponit se homo periculo sacrilegij, efficiendo sacramentum nullum: quia, vt ostensum est, iurisdictione est de necessitate sacramenti: ergo, quantum quis dubitat de iurisdictione, tantum dubitat de veritate sacramenti, quod tentat conficere: ergo ministrando cum hoc dubio, exponit se periculo nihil faciendi: ergo, si id faciat sine necessitate, temere & imprudenter facit, atq; adeo grauiter peccat. Confirmatur: nam ob similem rationem diximus in superiori tomo, esse graue peccatum voluntarie uti materia, vel forma dubia, scilicet, propter periculum quod inde resultat circa valorem sacramenti: sed idem resultat in hoc sacramento, & iurisdictione dubia: ergo, Exceptio autem posita ex proportionem eadem ad alia sacramenta ostendi potest: quia propter necessitatem occurrentem sæpe licet dare sacramentum in casu dubio sub conditione expressa, vel concepta, si possum, vel si indiges, aut alia proportionata, vt in hoc eodem sacramento licet sub conditione absoluere de peccato mortali dubio, quando non est alia materia. Ratio vero est, quia, concurrentibus illis duabus conditionibus, tollitur omnis inordinatio: quia necessitas facit, vt actus non temere fiat, nec ex mera & irrationabili voluntate: conditio vero tollit periculum: quia, si in re subsistat, infallibiliter fit sacramentum: si vero non subsistat, nulla iniuria fit sacramento, quia conditionalis nihil ponit in esse.

Est autem aduertendum, necessitatem in presenti debere consergere tam ex parte ministri, quam ex parte pœnitentis: illius quidem, vt non occurrat alius, qui certiorum habeat iurisdictionem, alioqui ille temere, & sine necessitate se ingereret: huius vero, vt scilicet sit pœnitens in aliqua necessitate confessionis: quia alioqui sine causa rationabili non debet facere confessionem ita dubiam. Non est tamen facile ad explicandum quanta, & qualis esse debeat hæc necessitas pœnitentis: nam si sit extrema articuli, seu periculi mortis, non potest in ea habere locum casus propositus, quia tunc non potest esse iurisdictione dubia, cum certum sit, quemlibet sacerdotem tunc habere iurisdictionem. Minor autem necessitas non videtur sufficere ad confessionem sic dubiam faciendam; quia si ministrandum sit, vel recipiendum aliquod sacramentum, etiam Eucharistiæ, melius & certius est conari ad contritionem habendam. Imo propter solam illam confessionem dubiam non liberabitur homo ab illa obligatione, si alioqui tenebatur homo se disponere ad iustitiam, quia per illam absolutionem dubiam non sufficienter disponitur, moraliter loquendo, cum non excludat morale periculum permanendi in statu peccati mortalis, absque probabili iudicio de iustitia.

Dubium proprie dictum, quod est pure negatiuum.

Regula generalis, ac certa, nunquam licere hoc ministerio uti cum tali dubio, nisi duplici concurrente conditione.

Qua necessitas requiritur, ut dubius absoluat.

Dubium

Gg Rificæ